

cialiter pro his, qui ad baptismum præparabantur, eas edidit. Optime Chrys., hom. ad Neophytos, et alia hom. ad Baptizandos; Greg. Nyssen., lib. de Sancto baptismo; D. Basil., in Exhor. ad baptizandum, ubi inter alia baptismum vocat tesseram militum Christi, amictum splendens, quo signatur super nos lumen vultus Domini, et similia; lib. vero 3 cont. Eunom., circ. fin., vocat baptismum sigillum fidei, quia in eo fit prima ac solemnitas fidei professio; multaque similia habet Tertul., lib. de Baptismo, et alii Patres, apud quos frequentia sunt elogia, quibus baptismus appellatur donum, seu gratia, quia in eo fit liberalissima remissio, primaque gratiæ infusio absque ullo præcedenti merito. Dicitur etiam unctio, vel ab externa cæremonia, quæ in solenni baptismo adjungitur, ut infra dicemus, vel ab interiori spiritali unctio, qua effici-mur participes regni, ac sacerdotii Christi. Dicitur etiam principium et janua sacramentorum, præsertim apud Dionys., c. 2 de Eccles. Hier., quia per illum fit homo capax ad cætera sacramenta Ecclesiæ recipienda. Atque in hunc modum explicanda sunt alia nomina baptismi, quæ ex effectibus ejus desumuntur, de quibus suo loco dicturi sumus.

ARTICULUS II

Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem (4, d. 3, art. 5, et dist. 8, quæst. 1, art. 3, quæst. 3, ad 2).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim præcedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis novæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionem sacramentorum novæ legis, et præcipue institutionem baptismi; cum Apostolus dicat ad Romanos 6: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, etc.

2. Præterea, sacramenta novæ legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi dedit discipulis post passionem et resurrectionem suam, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc., ut habetur Matth. ult. Ergo videtur, quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

3. Præterea, baptismus est sacramentum necessitatis, ut supra dictum est (q. præced.), et ita videtur, quod ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad bap-

tim. Sed ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum, quia adhuc circumcisio suam virtutem habebat, in cujus locum successit baptismus; ergo videtur, quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

Sed contra est, quod Augustinus dicit (in serm. 1 Dominicæ infra oct. Epiph., a med., et est in ord. 36, tom. 40): Ex quo Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluuntur aqua. Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo videtur, quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus.

Respondetur dicendum quod, sicut dictum est supra (quæst. 62, art. 1), sacramenta ex sui institutione habent, quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institutum, quando accipit virtutem producendum effectum. Hanc autem virtutem accipit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum.

Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novæ legis; tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni, et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato et incipit novam justitiæ vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indicaretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni ejus.

Ad 1 ergo dicendum, quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum eam præfigurabat. Aliter tamen quam sacramenta veteris legis; nam illa erant figuræ tantum; baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi, per cujus virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit.

Ad 2, dicendum quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub præcepto, sed voluit ad ejus exercitium homines assueferi, et præcipue in populo Judæorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut Augustinus dicit contra Faustum (lib. 4, c. 2, circa med. præcipue, tom. 6). Post passionem vero et resurrectionem, non solum Judæis, sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitatem baptismi imposuit dicens: Euntes docete omnes gentes.

Ad 3, dicendum, quod sacramenta non sunt obligatoria, nisi quando sub præcepto ponuntur. Quod quidem non fuit ante passionem, ut dictum est (in cor. art.). Quod enim Dominus ante passionem Nicodemo dixit, Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, magis videtur ad futurum respicere, quam ad præsens tempus.

COMMENTARIUS.

Distinguit D. Thomas in baptismo duo: unum est efficaciam sanctificandi et significandi, aliud est præceptum seu necessitas sumendi illum. Quoad primum, ait D. Thomas institutum fuisse baptismum ante passionem, quando Christus baptizatus est. Quoad secundum vero ait, Christum tradidisse præceptum baptismi, postquam a mortuis resurrexit. Quæ doctrina, quoad utramque partem indiget diligentiori examinatione ac discussione, quod præstabitur disputatione sequenti.

DISPUTATIO XIX.

DE INSTITUTIONE BAPTISMI.

De nominibus baptismi, ejusque definitione seu descriptione saltem quoad nominis declarationem satis dictum est in commentario articuli primi, et ideo consequenter sequitur, ut disputemus de quæstione, an sit baptismus, quod pendet ex institutione, de qua simul an facta sit, et a quo et quando facta sit, explicandum est, quæ omnia duabus sectionibus breviter comprehendemus, juxta duas assertiones a D. Thoma positas.

SECTIO I.

Utrum baptismus fuerit a Christo Domino ante mortem suam institutus.

1. Baptismus est unum ex sacramentis novæ legis. — Primum omnium statuendum est, baptismum esse unum e sacramentis novæ legis. Hoc est certum de fide, ut patet ex dictis supra in genere de numero sacramentorum novæ legis, et explicatur ex re ipsa et usu Ecclesiæ, adjuncta Scriptura. Constat enim esse in usu Ecclesiæ quandam sensibilem cæremoniam, quæ fit per abluionem aquæ et invocationem Trinitatis, per quam initiantur fideles, ut fiant Ecclesiæ membra.

Constat item ex Scriptura, hanc cæremoniam habere promissionem gratiæ, imo et esse necessariam ad justitiam et vitam æternam consequendam, juxta illud Joan., c. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; et illud Matth. ult.: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; et ad Eph., cap. 5: Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ. Est ergo hæc cæremonia verum sacramentum novæ legis, nam est sensibilis, et vim habet sanctificandi, et consequenter significandi gratiam, quam præstat. Hanc autem cæremoniam, seu hoc sacramentum (ut supra dictum est), nomine baptismi significamus; nam licet in veteri lege essent variæ abluiones cæremoniales, quæ baptismata appellantur ad Hebr. 9, tamen in nova lege unum tantum est baptisma, quod est unum ex sacramentis ejus, ut in Concil. Florent. et Trident. definitur.

2. Baptismus a Christo institutus. — Secundo hinc constat, baptismum esse a Christo Domino institutum; quod patet, tum ex supra dictis in genere de institutione sacramentorum novæ legis, quæ omnia ostendimus, fuisse immediate a Christo instituta; tum etiam ex testimoniis paulo ante citatis, in quibus habemus expressum præceptum et promissionem ipsius Christi.

3. Quando? — Difficultas ergo superest de tempore hujus institutionis, in qua re est prima sententia Alex. Alens., 4 p., quæst. 12, memb. 3, art. 1, ubi inter alias distinctiones, quas satis obscure proponit, in summa dicit, materialiter quidem instituisse Christum baptismum in Jordane, quando baptizatus fuit, non vero formaliter, usque ad resurrectionem. Cujus distinctionis sensus esse videtur, materiam hujus sacramenti esse designatam et quasi consecratam, formam vero non fuisse traditam a Christo, donec Apostolus dicit: Baptizantes eos in nomine Patris, etc. Unde fit, ante Christi passionem nec baptismum Christi fuisse institutum, quoad efficaciam et virtutem, neque fuisse ministratum, quia neutrum horum fieri potest sine forma, et hanc sententiam indicat D. Thomas infra, quæst. 73, art. 5, ad 4, et in eam inclinat Cano, lib. 8 de Locis, c. 5, dum negat, Apostolos ante Christi passionem baptizasse in nomine Trinitatis, quando baptizabant, Joan. 3 et 4. Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia ante Christi resurrectionem

nulla fit mentio formæ hujus sacramenti in Evangelio. Secundo potest confirmari Patrum auctoritate, nam Leo Pap., ep. 4, c. 3, dicit, Christum non dedisse Apostolis ritum baptizandi usque ad resurrectionem, ut indicaret, baptismum habere virtutem a sua passione et resurrectione, quarum est signum repræsentativum, ut dicitur ad Rom. 6. Rupertus autem, lib. 3 in Joan., circa finem, negat, baptismum, quo baptizabant Apostoli ante passionem, fuisse baptismum novæ legis, aut habuisse efficaciam gratiæ, quod accepturus erat baptismus a passione Christi; antea enim non dabatur Spiritus, quia nondum erat Jesus glorificatus, Joan. 7. Concludit ergo non fuisse baptismum in spiritu, sed in aqua tantum; atque adeo non fuisse baptismum Christi, sed quandam dispositionem et præparationem ad illum, sicut unctio illa, qua leguntur Apostoli, Marci 6, unxisse infirmos, non erat sacramentum extremæ unctionis, sed quædam umbra illius. Hujus etiam sententiæ sunt Chrys., hom. 28 in Joan.; Theoph., Joan. 3 et 4; Tertul., lib. de Bapt., c. 11, qui dicunt, Apostolos tunc non baptizasse baptismum Christi, sed Joannis baptismum.

4. *Prima conclusio.* — *Evasio.* — *Diluitur.* — *Objectio.* — *Dissolvitur.* — Dico primo, Christum Dominum instituisse baptismum suum ante suam passionem. Aliqui moderni censent, hoc esse dogma fidei; non tamen ita censeo, quod attinet ad circumstantiam temporis, de qua agimus, quia neque est res definita ab Ecclesia, neque tam aperte colligitur ex Scriptura, quin de ea re sint variæ Sanctorum expositiones, ut dictum est. Solum est hæc sententiæ probabilior, et Scripturis conformior, et communis Theologorum, Magistri, in 4, dist. 3; D. Thomæ hic, et ibi, quæst. 4, art. 5, quæst. 2; Scoti, quæst. 4; Richard., art. 5, quæst. 4; Capreol., Palud. et aliorum; Hug. de S. Vict., lib. 2 de Sacram., part. 6, c. 4. Et probatur primo ex Scriptura et Patribus; dicitur enim Joan. 3: *Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in Judæam terram, et immorabatur cum eis, et baptizabat;* signum ergo est, jam tunc fuisse institutum hoc sacramentum. Nam usus sacramenti supponit aut continet institutionem ejus. Quod vero ibi sit sermo de proprio sacramento, et baptismo Christi, et non de baptismo Joannis, ex multis colligi potest. Primo, ex æmulatione, quod discipuli Joannis habuerunt, eo quod Christus baptizaret, et plures ad eum, quam ad Joannem accurrerent, ut paulo post ibi-

dem dicitur. Nam si Christus et discipuli ejus baptismo Joannis baptizassent, nulla fuisset contentio, aut invidiæ occasio; potius enim discipuli Joannis gaudere debuissent, eo quod Christus baptismum magistri eorum approbaret, eoque uteretur. Secundo, ex responsione Joannis, qua plane ostendit, longe diversum fuisse baptismum, quo Christus baptizabat, a suo baptismo, tantoque meliorem quanto altiore originem et institutionem habebat; hoc enim significant illa verba: *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo;* et illa: *Illum oportet crescere, me autem minui; qui desursum venit, super omnes est.* Tertio, quia statim, cap. 4, ait Joan.: *Audierunt Pharisei, quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes, quamvis Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Quibus verbis declarat, eodem modo intelligendum esse, quod superiori capite dixerat, quod Christus baptizabat, scilicet, non per se, sed per discipulos suos, et quod Joan. Baptista prædixerat: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto,* Joan. 1, et Matth. 3: *Ego baptizo vos in aqua; qui post me venturus est fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* In his ergo omnibus locis dicitur Christus baptizare, non quod suis manibus aquam fundat et lavet, sed quia ipse est auctor baptismi, et omnes, qui baptizant, id faciunt, ut ministri ejus, et in virtute illius, ut Paulus exposuit 1 ad Cor. 3. Ergo cum, Joan. 3, dicitur Christum baptizasse, non potest convenienter intelligi de alio baptismo, quam de proprio a Christo instituto, quia cum per se non baptizaret, sed per discipulos, si discipuli solum darent baptismum Joannis, aut alium a Christo non institutum, non esset cur talis baptismus Christo tribueretur. Dicere quis posset, discipulos non dedisse baptismum Joannis, sed alium, quem Christus docuerat, illum tamen non fuisse sacramentum baptismi, quod perpetuo erat in Ecclesia permansurum, sed quemdam alium, veluti præambulum, illi temporari accommodatum, sicut de unctione infirmorum dicebamus. Verumtamen hæc responsio est gratis conficta, et sine ulla necessitate et fundamento; est etiam parum consentanea locis Scripturæ citatis, in quibus semper dicitur Christus baptizaturus non in aqua solum, sed in aqua et Spiritu; nullus autem unquam fuit baptismus in aqua et Spiritu, nisi verum sacramentum baptismi. Unde nullus alius baptismus fuit unquam dictus baptismus Christi; neque alius erat dignus

tanto tamque excellenti auctore et institutore, ut Joannes Baptista in sua responsione significavit. Quarto, hæc est sententia Patrum, Augustini, tract. 5, 13 et 15, in Joan., ubi inter alia ait, *discipulis Christi baptizantibus, Christum dici baptizasse, quia illi, ut ministri, hic, ut auctor sacramenti; illi tingebant, hic mundabat.* Unde concludit, illum fuisse lavacrum aquæ in verbo vitæ, quo Christus mundat Ecclesiam suam, ad Ephes. 5. Addit etiam, baptismum illum, etiam si a Juda fuisset ministratus, non fuisse iteratum, et ideo diversum fuisse a baptismo Joannis, quia post hunc necessarium erat recipere baptismum Christi. Quare ibidem sentit, Joannem Baptistam fuisse baptizatum illo baptismo, quo tunc Apostoli baptizabant. Quæ potest esse una ex congruentiis, ob quas Christus instituit hoc sacramentum ante mortem suam, ut illo tingeret suum Baptistam. Eandem expositionem habet Cyrill., lib. 2 in Joan., cap. 57, ubi affirmat, illum baptismum fuisse spiritualem et perfectum, ad quem Joannes suo baptismo homines præparaverat; significat etiam Nazianz., orat. 20, sub finem, dicens: *Baptizavit Joannes, nondum tamen prorsus spiritualiter, baptizat quoque Jesus, sed in Spiritu;* ubi addit Niceas: *Is enim, qui baptizandi munere fungi jubet, baptizare dicitur.* Denique Glos. ord., et Lyr., et frequentius expositores, ita interpretantur locum illum, et hanc sententiam amplectitur D. Thom., infra quæst. 73, art. 3, ad 4; non enim approbat aliam solutionem, quam primo loco posuerat. Quinto addere possumus in confirmationem tam hujus expositionis, quam conclusionis, quod Apostoli ante passionem Domini baptizati fuerunt vero sacramento baptismi, ut docet Augustinus, lib. de Origine animæ, cap. 9, et epist. 408, ita interpretans verba illa Joan. 13: *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet;* existimat enim hoc dixisse Christum, quia Petrus jam erat lotus per baptismum; quod optima conjectura confirmat epist. 153, quia non est credibile, Christum dedisse Eucharistiam Apostolis nondum baptizatis. Et eodem modo dicere possumus, non esse verisimile ordinasse illos sacerdotes, dedissetque eis potestatem conficiendi corpus suum (quam in nocte cænæ dedit, ut Concil. Trident. definit), nisi jam essent baptizati. Atque eadem conjectura sumi potest ex eo, quod post resurrectionem ipsamet die Dominica dedit eis Spiritum Sanctum, et potestatem remittendi peccata,

cum tamen non sit probabile, neque historiæ Evangelicæ consentaneum, quod illa die eos baptizaverit; erant ergo antea baptizati, quia hæc sacramenta et character sacerdotalis supponunt characterem baptismalem. Neque est fundamentum ad asserendum, Christum in hoc dispensasse, et ordinem invertisse, præsertim cum per sese videatur incongruum, prius Apostolos fuisse Episcopos, quam baptizatos. Unde Nicephor., lib. 2 Hist., cap. 3, refert ex Evod., Christum manibus suis baptizasse Petrum, et hunc filios Zebedei, eosque cum Petro reliquos Apostolos, atque hos, cæteros discipulos. Quod sane multo probabilius est, quam quod significat Chrysost., Hom. 24 in Acta, Apostolos non fuisse baptizatos ante diem Pentecostes. Valde autem pium est et credibile, quod ait Euthymius, Joan. 3, Christum ante Apostolos baptizasse Virginem manibus suis. Quæ omnia non possunt commode intelligi de tempore post resurrectionem. Præsertim, cum Christus non dixerit illa verba, quæ Matthæus refert: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* usque ad ultimum diem, quando jam erat in cælum ascensurus. Unde si non instituisset baptismum usque ad illa verba, non esset verisimile, ipsum suis manibus aliquem baptizasse. Sexto possumus addere conjecturas, quia baptismus est veluti initium ac fundamentum novæ legis, et janua omnium sacramentorum; sed Christus ante mortem suam inchoavit legem gratiæ, et aliqua sacramenta instituit, imo et novum testamentum condidit; ergo convenienti ordine debuit baptismum instituere ante reliqua sacramenta, et ab illo initium sumere; sicut in lege veteri circumcisio prius tradita est, quam aliæ cæremoniæ, et quam agnus paschalis; fuit autem circumcisio figura baptismi, sicut agnus fuit figura Eucharistiæ, eratque professio quædam illius legis, sicut nunc baptismus est legis gratiæ professio; sicut ergo circumcisio fuit præmissa ante legem datam, et agnus jussus est comedi tantum a circumcisis, ita et baptismus institutus est a Christo vivente, priusquam post mortem et resurrectionem suam legem ferret novam, et antequam seipsum discipulis suis in cibum daret, eosque sacerdotes consecraret. Dices: imo prius debuit consecrare ministros, qui possent sacramentum tradere, quam ipsum sacramentum instituere. Respondetur primum, in ministro baptismi non esse simpliciter necessariam consecrationem. Deinde in initio institutionis

non potuisse omnia simul fieri, ideoque convenientius fuisse, ut baptismus reliqua sacramenta antecederet.

5. *Secunda conclusio: baptismus ante mortem a Christo institutus quoad designationem materiæ, et traditionem formæ, plenam significationem, et propriam et intrinsecam ejus efficaciam.*—*Prior pars probatur.*—*Cur post resurrectionem dixerit Christus Apostolis: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*—*Probatur posterior pars.*—*Cur baptismus non aperuerit januam regni ante Christi mortem.*—Ex his colligo et dico secundo, baptismum institutum fuisse ante Christi mortem, non solum quoad designationem materiæ, sed etiam quoad traditionem formæ, et plenam significationem, et efficaciam propriam et intrinsecam ipsius baptismi. Priorem partem probant omnia, quæ hactenus adducta sunt. Nam sola materia non est sacramentum, neque in illa differt baptismus Christi a baptismo Joannis; ergo nec sola designatio materiæ potest dici sacramenti institutio; si ergo sacramentum fuit institutum ante mortem Christi, necesse est, ut totum signum compositum ex materia et verbis fuerit institutum. Quare non placet, quod Soto supra probabile censet, ante Christi mortem non fuisse in usu formam sub expressa invocatione Trinitatis, sed tantum sub nomine Christi; quam formam durasse putat aliquo tempore post Christi ascensionem. Sed de hoc posteriori infra videbimus; illud autem prius nullum habet fundamentum, sed verisimilius est, Christum a principio institutionis tradidisse formam perpetuo duraturam; alioqui revera non plene instituisset sacramentum. Neque oportebat statim in initio institutionis uti dispensationibus, eo vel maxime, quod jam Apostolos suos de fide Trinitatis instruxerat, et in ipso Christi baptismo, Pater de Filio testimonium dederat, et Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuerat; et tam Joannes Baptista, quam ipse Christus docuerant, baptismum Christi futurum in Spiritu Sancto. Si ergo a principio tradidit Christus plenam institutionem baptismi, quoad materiam et formam, credendum potius est eodem modo tunc fuisse in usu, atque Apostolos tunc baptizasse sub expressa invocatione Trinitatis. Nec refert, quod post resurrectionem dixit Christus Apostolis: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quia non ideo id fecit, quia Apostoli tunc ignorarent sub qua forma esset

baptismus tribuendus; id enim non est credibile, cum de cæteris sacramentis jam tunc essent Apostoli plene instructi; id ergo fecit Christus, ut præceptum baptismi solemniter promulgaret, ac publice omnibus proponeret januam, per quam in Ecclesiam suam erant ingressuri, quam oportebat omnibus esse notissimam. Posterior pars de efficacia illius baptismi probatur etiam ex dictis, quia ille baptismus non erat tantum in aqua, sed etiam in Spiritu. Item, quia ille baptismus erat idem sacramentum cum nostro; ergo habebat eandem significationem; ergo eundem effectum, quia necesse est, illam significationem semper fuisse veram. Denique illa institutio erat eadem, quæ nunc est; sed efficacia est ab institutione; ergo etiam efficacia erat eadem. Neque contra hoc obstant verba illa: *Nondum erat Spiritus datus*; intelliguntur enim de missione visibili Spiritus Sancti, invisibiliter autem certum est antea fuisse datum Spiritum Sanctum ad interioriorem sanctificationem; et eodem modo dari potuit per baptismum. Neque etiam refert, quod baptismus habeat efficaciam ex passione Christi, tum, quia poterat ad hoc sufficere passio Christi prævisa; tum maxime, quia jam erat quodammodo inchoata, quatenus tota Christi vita fuit quasi quoddam continuum sacrificium, quod licet in morte fuerit consummatum, tamen antea habuit infinitum meritum ad hunc effectum, et ad alios plures et majores sufficientissimum. Dixi autem, habuisse tunc baptismum efficaciam suam propriam et intrinsecam, quia licet tunc revera non aperuerit januam regni, quo sensu dici potest tunc non habuisse effectum perfectum in re, sed in spe, ut loquitur D. Thom. infra, quæst. 69, art. 7, ad 2, tamen hoc non proveniebat ex eo, quod baptismus tunc minorem gratiam daret, aut quæ de se minus efficax esset, sed quia Christus nondum plene satisfecerat, et debitum totius naturæ persolverat, et ideo nondum erat ablatum impedimentum totius naturæ, nec dabatur gratia, quæ statim perduceret ad regnum, sed suo tempore, quæ dilatio non oriebatur ex parte baptismi, sed aliunde; et ideo dici potest non caruisse baptismum suo proprio et intrinseco effectum, sed veluti extrinseca perfectione sua. Et quoad hoc potest dici efficaciam et institutionem baptismi fuisse completam post resurrectionem, sicut etiam ex parte rei significatæ tunc etiam fuit consummata significatio ejus; nam baptismus impositus fuit ad significandam

passionem et resurrectionem Christi, ut Paulus docet ad Rom. 6, atque de se institutus fuit, ut significaret illa mysteria jam facta potius quam futura, et ideo antequam illa mysteria consummarentur, erat baptismi significatio incompleta; cœpit autem esse consummata et completa post Christi mortem, sicut etiam de sacramento Eucharistiæ infra dicturi sumus. Addo etiam, quoad usum et dispensationem sui, fuisse consummatam hanc institutionem post resurrectionem duplici ratione. Primo, quia tunc est facultas data Apostolis, imo et lex baptizandi omnes gentes. Secundo, quia ipsis gentibus et omnibus hominibus datum est præceptum suscipiendi baptismum. Unde ex tunc cœpit esse medium ad salutem necessarium, quod antea non habuerat, de qua re dicturi sumus latius inferius in disputationibus moralibus.

6. *Ad fundamentum primæ sententiæ.*—Ad primum fundamentum primæ sententiæ jam responsum est, et declaratum, quomodo forma baptismi, Christo jubente, data fuerit. Ad secundum vero ex Patribus, Leo Pap. exponi potest de generali potestate, seu præcepto baptizandi. Rupertus vero et cæteri ibi citati commode exponi non possunt; tamen quod diximus, probabilius est.

SECTIO II.

Quo tempore vitæ suæ Christus Dominus baptismum instituerit.

1. *Christus Dominus non ante suum instituit baptismum quam baptizatus fuerit a Joanne.*—*Non multo ante fuit institutus baptismus quam Apostoli baptizarint.*—Certum in primis est, Christum Dominum non instituisse baptismum suum antequam ipse baptizatus fuerit a Joanne, in quo conveniunt omnes Theologi et Patres citandi. Quia, ut constat ex Luc. 3, et Actor. 1, Christus Dominus non cœpit prædicare ante baptismum suum; ergo neque antea inchoavit legis novæ aut sacramentorum ejus institutionem. Rursus ex dictis in præcedenti section. constat, quando Apostoli baptizabant, Joan. 3 et 4, jam baptismum fuisse institutum, quia, ut ostendimus, baptizabant baptismo Christi; illud autem tempus non multum abfuit a baptismo Christi, quia nondum Joannes fuerat missus in carcerem, sed baptizabat, ut constat ex citatis locis Joan. Hinc Richar., in 4, d. 3, art. 5, q. 4, dixit, tunc baptismum fuisse institutum,

quando Apostoli baptizare cœperunt; sed si attente res consideretur, cum Apostoli non fuerint auctores, sed ministri baptismi, necessarium fuit, sacramenti institutionem, eorum ministerium antecedere, quia minister non potest tradere sacramentum, nisi ritus ejus traditus illi sit ab institute. Quare Scotus eadem distinct., q. 4, et Gabr., quæst. unic., art. 3, dub. ult., recte inde concludunt, baptismum fuisse institutum ante illud tempus, atque adeo infra paucos menses post Christi baptismum, quamvis præcise dies et hora institutionis ignoretur, quia nihil de ea re scriptum est, neque aperte traditum. Aliis vero videtur, quod sicut Christus instituit sacramentum Eucharistiæ conficiendo et offerendo, ita instituit sacramentum baptismi, cum primum aliquem manibus suis baptizavit. Sed quamvis hoc ita esse potuerit, tamen ita incertum est, ut affirmari non possit; quia ex uno facto Eucharistiæ non potest argumentum sumi ad alia sacramenta; quia nec confirmationem, neque unctionem eo modo instituit, neque alia sacramenta.

2. *Christus dum baptizatur materiam baptismi designat.*—Communior ergo sententia est, Christum instituisse hoc sacramentum eo ipso die, quo baptizatus fuit a Joanne. Ita sentit D. Thom. hic, et Magist., d. 3, quos alii Theologi supra citati sequuntur. Et explicatur in hunc modum, nam tunc Christus designavit materiam baptismatis. Nam, ut ait Ambrosius, lib. 2 in Luc., cap. ult., in princip.: *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent, id est, aptæ essent, et designatæ ad baptismum.* Quod eleganter explicuit Augustinus, serm. 36 de Temp., dicens: *Filium genuit Mater, et casta est; Christum unda lavit, et sancta est; nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post baptismum aquæ est purificatio comprobata, nisi quod pene majori munere quam Maria, unda ditata est. Illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem; illa meruit, ne peccaret, ista, ut peccata purgaret; illi est collata virginitas, isti donata fecunditas.* Eandem sententiam habet Beda, lib. 4 in Luc., cap. 10, dicens, *aquas ablutas per carnem Christi peccati nesciam baptismi jus induisse, et vim regenerativæ sanctificationis concepisse.* Hier. etiam, Matt. 3, dicit, Christum contactu suo aquas sanctificasse. Denique hinc manavit vulgare